

loquitur, de intus respondet, ut mihi videtur, ne ostij aperiendi strepitu pueros excitaret. Deinde ut maiorem repulsam amico denotaret, quem suae praesentiae ad colloquium indignum iudicabat. Noli mihi molestus esse. Hoc est precibus importunis immoderate pullare. In ordine ad Deum metaphorica est locutio ex his, quae inter homines accidunt, Deus enim nulla re molestari potest, tamen ut ait Carthusianus, hac metaphorica phrasi denotatur quantum aliquid Deo displiceri videatur. Isai. 1. num. 14. & cap. 7. n. 13.

Iam ostium clausum est. Seu ut legit Arabicus: Ostium meum, ne Dominus nimis delicatus immemor amicitiae, immisericos, ac irrationalis videatur, ided datae repulsae apponit causam. Ostium clausum est, pessulis scilicet obfirmatum. Cum Dominus claudit ostium ad dormiendum, post breues tamen horas statim illud aperit, ac proinde si Deus ad primam pulsationem postulata non concedit, non exinde auferenda spes, nam & postea dabitur ingressus, & aperiet aures suas, ac exaudiet. Et pueri mei. Pagninus, pueruli. Syriacus, filij. Et quamuis vox Graeca vtrumque significet, tamen hic potius filij quam famuli denotantur, ut docent Tertullianus lib. 4. cont. Marc. Titus Bo-strensis, Euthymius, Theophylactus, Maldonatus, Toletus, & alij, quia Dominus eos secum dicit habere in eodem lecto, aut certe cubili, quod ad filios, & non famulos spectat. In cubili. Seu in lecto, ut vertit Syrus. Vtrumque bene potest intelligi; nam ut testatur Lucas Burgens. Moris fuisse apud quosdam nationes, ut parentes, filiosque simul non solum in eodem cubiculo, sed etiam lecto valde amplo, & lato cubarent. Non possum surgere, & dare tibi. Prouidus Pater magis suorum filiorum quieti consulit, quam sui. Non se excusat propter suam quietem, sed ne filios interturbet, ac ne eos, ut ait Euthym. exasperet.

QUESTIO IV.

Quare in parabola introducit Dominus negans panes, ut inde eius magnifica liberalitas publicetur?

26. Chrysol. **M**VLTVM in hac parabola, diuina pietas, sollicitudo, ac liberalitas declaratur, ex perbelite notatis D. Chrysol. ferm. 39. O quam, ait, pulsantis iste gestit occurrere, qui sic secreta sui cubile collocauit ad ianuam: qui dormientibus seruis, pulsantis necessitatem solus, & primus audiuit. Pulsat homo ad ostium, & dormientibus famulis solus Dominus de intus respondens ait, &c. Sic enim ipse excubat, ac vigilat in salutem hominum, ut cubile suum ad ianuam collocasse dicatur, ut pulsantes cito audiret, postulata afferret. Pulsa homo cor tuum, quod est veluti ostium Dei, dicens: peccavi, & statim ipse exaudiet: deinde preme illa verba: Qui dormientibus seruis pulsantis necessitatem solus, & primus audiuit. Notatu dignissimum, quod in eodem cubili cum Domino serui dormiunt, quibus incumbere attendere, quisnam pulsaret ad ianuam, ne domini quiete interturbaretur, & tamen serui dormiunt, & solus dominus vigilat, cum homo petens panes pulsaret; pro certo habe, quod cum necessitate laboraueris, omnes in tui sublidium dormiunt, solus dominus inuigilat, & praesto adest, ut tibi opem ferat.

Ad quaestionem propositam. Postquam Christus Dominus docuit discipulos suos orare in hoc cap. 11. Luc. num. 2. nobisque ad orandum ingerit multam fiduciam expandens in hac parabola, ut est communis Patrum, ac Doctorum consensus, summam Dei liberalitatem concedentis quidquid in oratione petitur. Quomodo tamen hic ostenditur Dei magnificentia, cum Dominus introducatur, asperit verbo, noli mihi molestus esse, dans repulsam amico, quia ex eo quod amicus erat, hoc tantum titulo dignissimum extrabat, ut omnia acciperet, praecipue, cum ipse non mitteret aliquem seruum suum, sed ipsemet tetendit ad ostium pulsans, & media nocte, quod satis rei necessitatem declarabat, ne hospitem suum in caenatum relinqueret, & ipse rem non multi pretij, sed tres tantum panes petit, & non datos, sed commodatos exigit, & tamen Dominus de intus tantis difficultatibus respondet, ostium clausum, pueri dormientes mecum in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Quisnam homo rusticus, illiberalior, & auarus, austerior, ac rigidiora diceret? Quomodo ergo profusa Dei largitas in nos exprimitur, ac declaratur?

27. **R**espondeo primò. Ex verbis ipsius hominis pulsantis: Amice commoda mihi tres panes. Seu ut legit Theophylactus, Syriacus, Varablus: Da mihi mutuo. Petit homo panes non gratis datos, sed sub scenore commodatos, ac si diceret, si dederis, aucta solutione statim reddam? Emere vis o homo donum à Deo, & non accipere? Et quonam alio modo ab homine auarissimo, ac usurario petendum fore. Vnde merito Theophylactus, impudentiam dicit orationem attentatam. Inde Dominus, tanquam iniuria ex facta petitione illi irrogata donum sub scenore postulatam in exordio petitionis multis difficultatibus obiectis denegat; nam eius ingens magnificentia ex sua intrinseca bonitate gratis, & non mutuo dat, qui enim sub mutuo concedit, liberaliter non beneficit, mutuum enim à ratione beneficij aperte distat; postquam Abraham deuictis quinq; regibus liberauit de eorum manibus Lot cum Sodomis, de præda oblata nihil voluit accipere, Genes. 14. n. 22. Cuius rei rationem eleganter assignat D. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 8. Minus enim fructum triumphi mercedis suspicio, & beneficij arrodit orasiam. Mercedis suspicio deprimit, ac minuit beneficium; ergo diuina liberalitas quodammodo, nostro dicendi modo, aliqualem patitur iniuriam, dum sub mercede, ac scenore aliquid ei petitur, tamen in magnum argumentum suae magnificentiae petitos panes commodatos concedit, ne quid à Deo instanter, ac perseueranter petatur, quod ipse denegare videatur.

28. **S**ecundò mirum est, quòd hæc parabola proponatur ut Dei liberalitas manifestetur, cum tamen in primo limine repulsa detur homini, cui videbatur ex tantis circumstantiis, ut supra dixi in hac quaestione, nihil denegandum. Summopere tamen Dei magnificentia hic exaggeratur. Accessit homo, & petit valde incongruo, & importuno tempore, quod multis explicat Euangelista: Ibi ad illum media nocte. De intus respondet Dominus: Noli mihi molestus esse. De Deo loquitur parabola sub hominis persona iuxta humanos affectus, ut Dominus molestiae incapax tam intempestiua oratione, secundum humanam conditionem metaphoricè videatur molestari: illiq; tandè dicat: Non possum surgere, & dare tibi. Tamen tanta est Dei libera

27.

Difficultati quaestionis.

28.

Theophyl. Syriac. Varab.

Genes. 14.

Ambros.

Mercedis est ditio minuit, ac derogat magnitudinẽ beneficij.

29.

Tanta est Dei liberalitas, ut etiam orationem importune factam exaudiat.

liberalitas, sicque ad misericordiam ipse pronus est, ut etiam facta perseuerante oratione incongruo tempore, inopportuna occasione, indecenti statu, nempe ab homine non amico, ut dicitur in parabola sequenti versu, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit. Non amicus, idest homo in peccato, ut cum multis dicam sequenti expositione, tamen sic Deus ipsa oratione allicitur, ut ille, qui dicebat, noli mihi molestus esse, non possum surgere, & dare tibi, hæc omnia pratermittat, ut postulata concedat, petita annuat.

30.

**T**ertiò. Instanter petit homo panes, ut iam in difficultate quaestionis est positum; negat tamen Dominus. Iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Seruorũ quiete amici indigentiae praefertur, & tota difficultas largiendi in eo versatur, ne molestiam pueris suis inferat. Cum tamen pro postulatis concedendis multo plura vrgebant, ut in difficultate quaestionis dixi. Quomodo ergo hæc parabola adducitur pro magna Domini liberalitate exaggeranda? Decertabat in hoc optimo Patre familiaris cura, ac prouidentia famulorum, ne ipsi diuturni laboris lassitudine, molestati interturbarentur, cum eximia sua liberalitate amico subueniendi. Vincit tamen famulorum dispendio studium beneficentiae, & ille qui dicebat impossibile esse pueros suos inquietare, non possum surgere, & dare tibi. Reiecta seruorum commoditate, esto ipsi excitentur, surgit, & supplicanti amico non solum petita, sed amplius quidquid fuerit necessarium libenter, ac magnificè offert.

Liberalitas in magnifico vincit suorum curam.

31.

Glossa.

Ex rerum difficultate accenditur desiderium.

**Q**uartò. Glossa apud Catenam. Non possum surgere, & dare tibi. Non ergo, ait, auferit impetrandi licentiam, sed vehementius accendit desiderium orandi, offensa difficultate consequendi. Cum pulsanti dat Dominus repulsam multas moras interponit, difficultates obiecit. Ostium clausum, pueri mecum in cubili dormientes, non possum surgere, ut ex tanta dilatione, ac difficultate rerum ardentius desiderium obtinendi accendatur. Vide supra cap. 14. num. 53.

32.

Hugo.

Quod labore acquiritur multum aestimatur.

**Q**uintò. Hugo Cardinalis. Non possum surgere. Hoc dicit Dominus, ait, ut presumptio tollatur, & quia quod maiore labore acquiritur plus amatur. Veniebat homo multa presumptione pulsans, tanta repulsa ei datur, ut à sua presumptione deiciatur, ac humilietur. Sextò. Ut & ipse perseuerando multum instanter labore, vnde non statim ad primam pulsationem, sed post multiplicatas voces conceduntur, ut inde dulciores fiant, quae enim magno labore acquiruntur, suauius obtinentur, ac iucundius possidentur.

33.

Cantic. 7.

Cantic. 8.

Cassiodor.

Cantic. 4.

**D**e anima iusti ait Christus Dominus. Quam pulchra es, & quam decora charissima in deliciis. Cantic. 7. num. 6. & iterum deliciis affluens, innixa super dilectum suum. Cantic. 8. num. 5. Hæc autem deliciae, quibus maxime abundat, ac impinguata est, sicut diuinæ dulcedines, inspirationes, ac consolationes spirituales, ut vult Cassiodor; seu ingens abundantia gratiarum, ac donorum; ut interpretatur Rupertus. Tamen cum ad lauream vocatur, dicitur ei. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amanae, de vertice Sanir, & Herimon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Cantic. 4. num. 8. vocatur, ut veniat de Libano: hoc est de candore puritatis, & coronanda dicitur ex Amanae, Sanir, & Herimon, quia erant montes, in quorum vastis syluestris in Euang. Tom. IV.

luncis, ac cauernis multi debebant leones, & pardi. Per quos tres montes D. Gregor. Beda, Philo Carpath. interpretantur demones, fraudulentos, hypocritas, ac Hæreticos. Alij auctores significare volunt mundum, diabolum, ac carnem, cum quibus assiduum luctamen designatur; Illud tamen nunc est disquirendum: cur quando anima sancta ad coronam vocatur, non coronanda dicitur ex deliciis, ex consolationibus, ac inspirationibus caelestibus, nec ex diuinis gratiis, ac fauoribus, sed ex contentione, ac pugna habita, cum leonibus, & pardis, demoniis scilicet, peccatoribus, ac hæreticis. Ut gratior, ac aestimabilior esset corona, non intexitur ex splendoribus grauitè acceptis, sed ex multo sudore, ac luctamine comparatis. D. Gregor. Nyssen. oration. 8. Peridomice, ait, leonum, ac pardorum mentionem fecit, ut per adiectionem rerum molestarum, voluptatem lauitia fruuentium suauiore efficeret.

Gregor. Beda. Carpath.

Ex propria labore comparata corona gratior. Nyssen.

34.

Genes. 31.

Septuaginta.

Genes. 37.

Rom. 9.

Genes. 31.

QUESTIO V.

Quare serui in Domini cubili dicuntur pueri, cum ab sponsa appellentur milites armati?

**O**s qui in Euangelio Lucae dicuntur pueri cubantes in cubili, seu lectulo Domini, existimat D. Gregorius Nyssenus homil. 6. esse milites armatos custodientes lectulum Salomonis. De quibus ait Sponsa; Canticorum 3. num. 8. Omnes

35.

Nyssen.

Cantic. 3.

KK 3 tenentes



tenentes gladios, & ad bella doctissimi vniuersiusque ensis super semur suum propter timores nocturnos. Postquam citatus Pater probat hos bellatores esse infantes illos. Sic subiicit: Idem ergo est dicere, & armatos esse circa lectum, & infantes: nam isti quidem nondum nouerunt: hi vero ad hunc statum se redegerunt: adeo, ut beatus in his inueniatur, vel infans, vel armatus, verus Israelita in puro corde. Deum videns; ut armatus quidem in puritate impatiibilis, Regis lectum, id est cor suum custodiens; ut infans autem in beato lecto quiescens. Ecce idem armati actus gladiatores, & simul pueri, ac infantes vocantur: cum cor suum custodiunt, ab illoque ense iustitiæ, ac rectæ rationis omnem perturbationem, ac mundialem cogitationem amputant, fortes pugnatores sunt. At vero ut omnis perturbationis expertes mira pace, ac quiete potiuntur, tanquam infantes reputantur. Qui enim cor suum à mundialium anxietate custodiunt, sic in ipso suo corde, ac animo placidè, & quietè degunt, veluti innocentes infantes nulla percepta molestia cubantes in lectulo.

**Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, Psalm. 75. num. 3.** Quanquam Psalmus de Christo à multis interpretatur, tamen non incongruè, etiam de iusto explicatur, qui degens in puritate, ac rectitudine suæ animæ, ac conscientie habitat in pace, ac tranquillitate veluti in munitissima arce Sion. Pergit Psalmista, *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum.* Diffipauit potentias arcuum, scilicet dæmonum, qui omnium tentationum sagittas emittunt; scutum obstinatæ obdurations, gladium præsumptionis, & bellum omnium peccatorum. *Si in pace factus est locus eius, & habitatio eius in Sion, ut in fortissima.* Quomodo ibi tantum certamen est inditum? *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* Quia tanta est habita pugna cum diabolo, carne, ac mundo, inde in tanta pace, ac quiete degit pax animæ iusti de contentione cum vitiis, & peccatis consistit, ex talique pugna multum crescit, ac efflorescit. Ita D. Ambrosius prædictum Psalmum exponit, lib. de Naboth, cap. 14. *Ubi quietus, ait, affectus nullis diuersarum cupiditatum, exagitur fluctibus, nullis auaritiæ turbatur procellis, nullis querendarum diuitiarum ignescit incendijs. Ipse est, qui speculatur æterna, & habitat in Sion, confringens omnia spiritualium instrumenta bellorum, conterens arcus, quibus diabolus ignita dirigens iacula; graues peccatoribus hominum solet inurere tentationes.*

**37.** Posuit Deus ante paradysum ad custodiendam viam ligni vitæ Cherubim cum flammeo gladio, Genes. 3. num. 24. Ad cuius exemplar cum Abraham conscenderet ad montem, in quo Deus visus est, ad litandum Domino filium suum, secum simul asportauit ignem & gladium. Ex quo eleganter ait Philo lib. de Cherub: *Annon vides, ait, quid & sapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deum metiri omnia nihil creatura tribuens, accepit ad ignei gladii similitudinem ignem, & gladium, resicare cupiens quicquid mortale habebat, ut expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret?* Cum Abraham ascēdit ad montem veluti alter Cherubim defert secum ignem, & gladium, sciebat vir sapiens nihil creaturæ tribuens, quod ad perueniendum ad eam animi tranquillitatem, in qua nullum rebellem motum in concupiscentia experiretur, ut inde fieret aptus ad Dei præsentiam, & colloquium, necesse erat, ut prius igne, & gla-

dio carnales omnes cupiditates amputaret, appetitus trucidaret, omniæque mundana conculcasset, ut ita expedita mente illius summa pace obrenta diuinæ congauderet familiaritatis consortio.

**Lucæ 11. n. 7.** Et si ille perseverauerit pulsans: dico vobis, etiam non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

VERSIONES.

**Syriacus.** Dico vobis: etiam si propter amicitiam non dederit, at propter importunitatem surget, & dabit quantum ei requiritur.

**Caictanus.** Propter impudentiam tamen eius surget.

**Græcus apud Barrad. & Luc. Burgens.** Propter inuerecundiam tamen eius surget.

**Arias.** Propter improbitatem eius excitatus dabit illi quotquot habet opus.

**Vatablus.** Dabit quocumque habet opus.

EXPOSITIO III.



**T** si ille perseverauerit pulsans. Tota hæc pericope non legitur, siue Græcè, siue Syriacè, maxime tamen inseruit ad explicandam vim parabolæ, ac proinde optimè est in nostra Vulgata. *Perseuerauerit pulsans, repulsa amici non destitit à petendo, sed maiori conatu continuauit, & ut notat Toletus, iam non vitur vocibus, ut antea, sed pulsatione, excusabat enim se amicus à surgendo, ne expergeret pueros, ac perturbaret, ille autem tollens excusationis argumentum, fores pulsat, ut strepitu excitentur à somno, indeque magis amicus compellatur surgere.*

**Dico vobis.** Concludit parabolam, & idem est, ac vobis extra dubium certum facio. *Et si non dabit illi surgens.* Prudens paterfamilias, quamuis multos pueros secum habeat in cubili, ministrorum manibus cauet, & ipse per se surgens, quæ suorum sunt, per semetipsum exercet, eo quod amicus eius sit. Rectè notat hic Toletus annot. 22. & etiam supponunt Hugo, & Maldonatus, quod maxime hic explicatur efficacia orationis erga Deum; *et si non dabit, eo quod amicus eius sit.* Non amicus Dei, idem est ac peccator, qui enim non est in amicitia Dei, in peccato est; Deus enim non solum iustos exaudit, sed etiam peccatores, cum tamen ad eum veniunt, ac conuertuntur voluntate peccandi abiecta. *Propter improbitatem.* Seu, ut alij lugunt, *impudentiam, seu, inuerecundiam eius, id est, propter importunam, vrgentem, & inuerecundam instantiam.* Im-

38. Græcus. Syriacus.

Tolet.

39. Ministrorum manibus cauet.

Tolet. Hugo. Maldonat.

Improbis appellatur, qui nullo dato responso recedere non vult, sed moleste vrget, ac instat, & non cessat à petendo, donec accipiat, ut veluti cogat alium ad dandum; per hanc autem improbitatem in ordine ad Deum, intellige assiduam perseverantiam. D. Augustin. lib. 2. quæstionum Euang. cap. 21. ait, quod in præsentem. *Comparatio est à minore; si enim amicus homo, surgit à lecto, & dat, non amicitia, sed radio compulsus, quanto magis Deus dat, qui sine radio largissime donat, quod petitur.* De quo iterum. *Quotquot habet necessarios.* Seu opus. *Ne iterum pro pluribus panibus postuletur, & ad lectulum reuersus denuo inquietetur.*

August.

QUÆSTIO VI.

*Quare Dominus, qui est multum velox ad nostras orationes exaudiendas, tantum in presenti cunctatur, ut dicatur propter importunitatem dare?*

40.

Psalm. 33. Psalm. 17. Psalm. 10.

**Q**UAM velox sit Dominus in suorum orationibus exaudiendis multis explicat Regius vates. *Psalm. 33. n. 16. Et aures eius in preces eorum.* *Psalm. 17. num. 7. Et clamor meus in conspectu eius introiit in aures eius.* *Psalm. 10. num. 17. Preparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quomodo ergo in præsentem se morosum ostendit erga hominem pullantem?

41.

Carthuf.

August.

Respondeo primò, quod per improbitatem intelligendum est assiduus orationis feruor, indeficiens instantia improbitati, ac importunitati secundum humanum iudicium, ut explicat Catthufianus, aliquid simile continens; si v. g. talis petitio fieret erga hominem, quod iam in expositione explicauit ex D. Augustin. Et iterum ipse est audiendus serm. 5. de verbis Domini cap. 5. *Quid est, ait, propter improbitatem, quia pulsare non destitit, quia & cum esset negatum, non se auertit; ille, qui volebat dare, quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non desicit. Quanto magis Deus bonus, qui nos hortatur, ut petamus, cui displicet, si non petamus.* Ita vult Deus nos esse perseverantes, ac instates in oratione, ut eum quodammodo cogere, ac vrgere nostro affectu ad dandum valeamus. *Hac vis grata est Deo, ut ait Tetul. lib. de oratione.* Vnde sponfa. *Cantic. 3. n. 4. dicebat. Temi eum, neque dimittam, donec introducam eum in domum genitricis mee.*

Deus oratione vult infari. Tertull. Cantic. 3.

42. Ennod.

Secundò. D. Ennodius Epistol. 3. *Pulsanti, ait, sæpe surgit Deus, & tribuit, si non propter meritum, vel propter importunitatem. Sic usuram cultoribus vexaris reddit terra cespitibus. Sic ad vocem prius hominis montis secreta respondent, & dum angustus clamor vincitur, ut letitudinem suam elementa manifestant.* Ait Dominus in præsentem parabola. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi.* Affectat Deus multiplicatis, ac etiam importunis vocibus in oratione pulsati. Importunitas, seu improbitas sumitur in præsentem pro quadam instantia ad bona quædam super vires orantis concedenda; nam sicut humana vox ad montium cauetnas euecta per Echo se se multiplicat: & ager alias cassus, & infructiferus, improbo agricolarum labore vexatus, ac excultus magnis fructibus repletur: sic orantis animus cum alias, aut nihil,

Differt Deus orationem, ut animus meritis crescat.

aut parum meritis polleat multiplicata voce, ac feruore in oratione meritis crescit; indeque aptus, & capax reddit, ut magnis donis diuinæ gratiæ fecundetur. D. Augustin. Epistol. 121. cap. 8. explicans cus Deus nos iubet instanter orare, ait, *Vult exerceri orationibus desiderium nostrum, ut possimus capere, quod preparat dare.*

August.

43. Chryfolog.

Tertiò. D. Chryfolog. serm. 39. *Indicit, ait, in hac humanitate geminam necessitatis speciem petentis, & dormientis, ut illum petere hospes, dare compellat hunc somnus: ut pote, qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: ut ei magis dormire liceat.* Cum introducitur media nox, quando homo cum panis indigentia pulsatur ad ostium Domini, quando intra cubiculum suum clausus cum pueris suis iacebat in lecto, Deus tanto gaudio à liberalitate sua in nos dona diffundit, ut non tantum videatur homini indigenti subuenire, sed etiam suæ propriæ commoditati currere. *Quis dubitat, quod valde proficuum est dormienti, ut pulsanti indilate satisfaciatur, ut placatus suæ quieti indulgeat? Vnde Dominus describitur in noctis silentio molestari, ac inquietari clamore, & strepitu pulsantis ad ianuam; ut citò respondens, & superabundanter largiens, non tantum petenti, sed etiam sibimet consulere videatur.*

Deum tam liberalis in donis dandis, ac veluti si eis indigeret.

44.

August.

Quartò. Deus aliquando cunctatur in nostris petitionibus satisfaciendis, ut nos inde magnis vocibus instemus, cuius rei rationem assignat D. Augustin. citato serm. 5. de verbis Domini. *Cum aliquando, ait, tardius dat, commendat dono, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt.* Et serm. 27. De verbis Domini, ait. *Quod dare vult, differt, ut amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum.* Cum Parens Elias leuaretur in cælum, pallium suum reliquit discipulo suo Elisæo, qui reuersus stetit super ripam Iordanis, & pallio Elia, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ. *Et dixit: ubi est Deus Elia etiam nunc? Percussitq; aquas, & diuisæ sunt huc, atque illuc.* 4. Reg. 2. n. 13. Illud semper erat idem pallium Eliæ, eademque virtute pollebat, cur non prima vice, & cum tunc multo feruore, ac conatu orat Elisæus. *Vbi est Deus Elia etiam nunc? Sed secunda percussione diuiduntur aquæ? Distulic Diuinum Numen vsque ad secundam instantiam inuocationis adesse, nam si continuò Elisæi votis annueret, facilis illa, atque prompta diligentia miraculum diuisionis aquarum non multum æstimabile redderet, vilescunt enim quæ citò, & sine multo nostro conatu acquirimus.*

Deum non respondet statim orantibus, ne vilescant dona apud eos.

4. Reg. 4.

45.

Quintò. Multas rationes de intus dedit Dominus, quibus firmavit negatum; *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, pueri mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Tamen quasi coactus, ac veluti inuitus, more humano de Deo sub parabola loquitur Euangelista. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Ecce Dominus, qui dicebat se non posse, aut nolle dare, tamen tam grandis est orationis potentia, ut valeat extorquere id, quod Deus dixit se nolle dare, ac proinde ipsius orationis vi veluti coactus liberalissime donat D. Chryfolog. serm. 39. *O quam necessitatis esse sua, ait, quod sua potestatis est, vult videri.* Ac proinde cum ipse decreuisset non dare, quod intelligitur, nisi instanter rogaretur, elicit, ac exposita feruida oratione valde sponte donat, ac largitur. *Luctatur Iacob cum Angelo, illo nempe magni*

Grandis potentia orationis.

Chryfolog.

46.